



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Synopsis Magnalium Divi Josephi**

**Ignatius <a Sancto Francisco>**

**Leodii, 1684**

Approbationes Theologorum Externorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38500**

# APPROBATIONES THEOLOGORUM EXTERNORUM.

**H**æc Synopsis Magnalium Divi Josephi, &c. à R. <sup>do</sup> adm. P. IGNATIO à S. FRANCISCO, aliàs BRABANT Carmelitâ Leodiensi, S. Theologiæ Professore, necnon S. Germani in Oppido Huenfi Pastore composita, non solum Catholicæ Fidei, bonisque moribus est consentanea, sed etiam omnibus scientiæ & sapientiæ Cultoribus, præsertim Divini Verbi Præconibus est utilisima, ut quæ genuino & perspicuo stylo D. Josephi Prærogativas in ordine Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ ex autoritatibus Sac. Scripturæ, SS. Patrum, & Orthodoxis Interpretibus feliciter ostendat & probet. Addo quod sicut de D. Thomâ Doctore Angelico traditur audivisse Christum Dominum sibi dicentem, *Bene scripsisti de me Thoma, &c.* Ita piè credendum sit Divum Josephum de hoc doctissimo Viro præfatæ Synopsis Authore existimare, & velut dicere, *Bene scripsisti de me Ignati, tu Prædestinationem meam æternam, Genealogiam Regalem, Paternitatem divinam, Sponsalia Virginea, Patrociniumque erga Cultores meos præsentissimum & potentissimum bene, solidè, ac doctissimè comprobasti, quam ergo mercedem accipies nisi ipsum Filium meum Deum ac Dominum nostrum JESUM-Christum? Quod faxit Deus.* Cæterum ut hoc opus ad majorem Jesu-Christi, & Beatissimæ Matris ejus Mariæ, atque Divi Josephi Sponsi ejus gloriam typis mandetur, & ita in publicum prodeat, dignissimum puto. Datum Hui in Conventu S. Georgii hæc 10. Aprilis 1683.

FR. ATHANASIVS MAIGRETIUS Sac. Theolog. Lovanii Doctor  
& olim Professor, Ord. Erem. S. Augustini.

**M**agnus planè Magnus S. Josephus amantissimæ Virginis Matris Dei Mariæ Sponsus ter amabilis, & Magna est gloria ejus in salutari tuo Domine, Pf. 20. v. 6. Applaudo tibi, & congratulor Patria mea, & Mater mea Ecclesia Leodiensis, quod hunc tibi laceratis hæc rerum tuarum temporibus, ex Per-Illustris Capituli sui consensu & consilio Patronum potentissimum adlegerit Serenissimus Princeps ac Episcopus noster MAXIMILIANUS HENRICUS, prius sub fortissimâ Virginis MARLÆ Protectione, & validissimo Sancti Martyris tui atque Pontificis LAMBERTI Patrocinio vixisti, sed assusâ superabundanti Dei benedictione tertius concessus est Patronus, ut triplici funiculo in suavissimo Dei servitio constricta servaveris: illum publicè devotionis patentissimo sinu complexa es, & sanctis quibus potuisti Votis, Concionibus, & Officiis prosecuta es, neque tamen in se major evadit Magnus iste & Maximus S. JOSEPHUS, sed quoad nos videtur in dies secundum Nomen suum crescere, & fallor si suspian gentium cujusvis Scriptoris manu ad Augustiorem gloriosæ notitiæ Majestatem pervenerit quàm per hanc Magnalium ejus Synopsim, ab uno ex Filiis tuis R. P. Ignatio à S. Francisco aliàs Brabant Carmeli Leodiensis, bis Priore, eximio planè Viro feliciter elaboratam & conscriptam: in hæc S. JOSEPHUS electionis æternæ splendoribus circumfulget, Prophetiarum umbris expeditus, Figurarum integumentis evolutus mirâ venustate corripit, Regio cretus sanguine, & justus in Regnum Successor, modestissimus tamen conditione Faber exhibetur, virginali connubio Virgo conjunctus Virgini, hanc fecundante Spiritu sancto verus inde natæ prolis Jesu Pater ostenditur. Hinc adaptata donorum, virtutum, gratiarum circumfluentiâ plenus Joseph declaratur, Patrocinii potestate benevolentissimâ clarissimus prodit, & miraculorum cujusvis generis gloriâ sublimis super admirationem ascendit: Tantùm abest ut hic aliquid contra bonos mores aut fidem militet, quinimò multa passim dispersa morum monita, & documenta sanctissima, multa illustrandæ fidei collata lumina: tam piis ergò devotionis studiis, & multigenæ lectionis laboribus præli gratiâ, si R. <sup>mo</sup> Dño Vicario Ghali placeat, fruantur omnes. Hoc equidem, post totum à capite ad calcem abs me perlectum Opus, utile non modò censeo, sed & acueudis Doctorum studiis, formandis Concionatorum ideis, illustrandis Nobilium gestis, poliendis rudiorum moribus, sanctificandis Virginum amoribus, honestandis conjugatorum pactis & actis, imprimendis demùm ad omne bone bonum stimulis convenientissimum judico. Dabam in Aedibus Ministerii mei postridie Calendas Junii 1683.

JOAN. LE BEAV Examinator Synodal. Ecclesia S. Adalberti Curatus ind.

## LICENTIA ORDINARIÏ.

**S**ynopsis hæc Magnalium Divi Josephi, &c. à R. P. Ignatio à S. Francisco aliàs Brabant Leodiensi Carmelitâ, &c. cum nihil contineat Fidei & Christianis moribus contrarium, imprimi poterit. Datum Leodii hæc 6. Junii 1683.

JO. ERNESTVS BARO DE SVRLET,  
Vicarius Generalis Leodiensis.